

CARMINA

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649104017

Carmina by C. Valerii Catulli & Fried. Guil. Doering

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

C. VALERII CATULLI & FRIED. GUIL. DOERING

CARMINA

C. VALERII CATULLI

VERONENSIS

C. A R M I N A

ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

FRID. GUIL. DOERING.

ALTONAE,
SUMPTIBUS I. F. HAMMERICHII.
MDCCCXXXIV.

SEEN BY
PRESERVATION
SERVICES

OCT 24 1991

C. A. BOETTIGERO

ANIMAE SUAE DIMIDIO

D. D. D.

FRID. GUIL. DOERING.



PRAEFATIO.

Rationem aliquam reddituro de usu fructuque otii, bellissimi illius, ut Cicero ait, senectutis praesidii, brevem mihi benevoli lectores praebent audientiam. Ex eo inde tempore, quo Catulli Carmina qualicumque mea opera edenda curavi, quinquaginta ferme anni praeterierunt. Itaque, cum iam ante plures annos omnia curatae a me Editionis Catulli exempla divulgata essent, fuerunt, qui me ad huius poetae Carmina de integro edenda excitarent. Neque id frustra. Est enim a natura fere nobis insitum hoc, ut non solum ea, quae olim nobis grata et iucunda fuerunt, lubenter animo repetamus, sed etiam ut minus recte a nobis intellecta et diiudicata retractare cupiamus. Cum igitur ad retractandam Catulli Editionem animum appulsem, manumque rei iam admo-vissem, tam multa offerebantur vel delenda vel immutanda vel rectius constituenda, ut fieri non posset, quin nova plane Catulli prodiret Editio.

Est autem a me instituta ratio haec: Ante omnia farraginem Variarum Lectionum sustuli, quia in iis formae exhibentur tam informes, ut risum potius moveant, quam ad vitium aliquod relegendum ducant. At idem ego in locis dubiis vel aperte corruptis haud neglexi in notis proferre eas lectiones, e quibus elici fortasse posset vera lectio; emendationes vero, quas

tentavi, in notis indicavi. — Quodsi vero sint, qui Lectionum Varietatem desiderent, iis largiter hae epulae appositae sunt in Editione Clarissimi *SILLIGII*, qui passim de Variis Lectionibus docte disputavit.

Ceterum novo plane, quem nunc adiecimus, Commentario cedere omnino debuit vetus, qui plura habebat vel putide abundantia, vel iuvenile vanae gloriolae captandae studium ostentantia, vel alia ad superflua et inutilia referenda. At in hoc novo Commentario non solum diligenter mihi cavi, ne quid ego senex septuaginta octo annos natus molirer inepte, sed etiam, quae chartae mandaveram, antequam typis expressa legerentur, communicavi cum *Amicissimo IACOBSIO*, et, quae ille momuit, grato animo in usum meum converti.

Egregie autem de hac nova Catulli Editione meruit Vir tam larga solidioris doctrinae scientia imbutus, quam mira in indagandis operarum et scripturae vitis sagacitate instructus, Liberalium Artium Doctor *AUGUSTUS STRAUBELIUS*, quem venerantur omnes, qui singulares eius virtutes perspectas habent.

Denique vehementer opto, ut aequi bonique iudices iis, quae ad Catullum explicandum attulimus, ponderandis et examinandis non aurificis stateram, sed popularem trutinam adhibeant.

Indicem Verborum ad exemplum Indicis Horatiani, a *Viro Litteratissimo AEMILIO BRAUNIO*, nunc Romae vivente, concinnati, confecit nepos meus, *CAROLUS REGEL*, Gymnasii nostri multae spei discipulus.

GOTHAE,

a. d. XII. April. MDCCCXXXIV.

DOERING.

VERSUM GENERA,
QUIBUS CATULLUS IN CARMINIBUS USUS EST,
EX V. CL. NOBBI DE METRIS LIBRO

DESCRIPTA.

I. Iambicus trimeter acatalectus, qui puros iambo complectitur, in tribus carminibus, IV. XX. XXIX., et in his semel tantum (XXIX, 21.) cum longa anacrusi adhibetur. In uno carmine LII. numeri iambici spondiacis sunt mixti, saltem in quatuor prioribus versuum pedibus. Caesura in tertio pede, sive quae *πενθημιμετρῆς* vocatur,

⊖ | ∟ ∘ ∘ || ∟ ∘ ∘ | ∟ ∘ ∘,

ut legitima habetur, sic in his quoque carminibus sollemnis est. Eadem vero aliquoties etiam in quartum pedem cadit, ubi *ἑφθημιμετρῆς* appellatur.

∘ ∘ ∘ ∘ ∘ | ∘ ∘ ∘

II. Iambicus trimeter claudus, qui in septem carminibus (VIII. XXII. XXXI. XXXVII. XXXIX. XLIV. LIX.) conspicitur, sex pedibus efficitur, quorum secundus, quartus et quintus semper sunt iambi, primus et tertius modo iambi modo spondei, sextus vel spondeus vel trochaeus. Huius quoque caesura duplex est, et mox in tertio pede vocabulum terminat:

⊖ ∘ ∘ ∘ || ∘ ∘ ∘ ∘ ∘

mox in quarto:

⊖ ∟ ∘ ∟ ∘ ∟ ∘ | ∟ ∘ ∟ ∘ ∘,

cuius quidem generis exempla oppido pauca sunt.

III. Iambicus tetrameter catalectus:

⊖ ∟ ∘ ∘ ∟ ∘ ∘ || ∘ ∟ ∘ ∘ ∟ ∘

cuius caesura, ut apud alios, sic apud Catullum in extremo pede quarto locum habet. Catullus hunc adhibet in uno tantum carmine XXV.

IV. Galliambicus, de quo vid. in Argumento ad Carm. LXIII.

V. Versus Choriambicus (in carm. XXX.)

∟ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘ ∘,

spondeum in ipsa voce (praeter v. 8. et 11.) terminatum,

tres choriambos et logaedici ordinis modo in fine iambum continet. Caesurae locus post primum choriambum est, exceptis vv. 4. 7. 8., pariter post secundum, praeter v. 11. et 12., non item post tertium. Sed his quoque in versibus, ubi altera laeditur caesura, saltem altera servatur.

VI. Hexameter heroicus nunc in ipsis heroicis carminibus (LXII. et LXIV.), nunc in elegiacis (LXV — CXVI.) usurpatur. Multi sunt versus, quorum quintus tantum pes est dactylus, nec pauci, qui, dactylo in quarta sede praemisso, in spondeos exeunt.

Caesura autem plurimorum versuum, quae legitima habetur in arsi tertia, sive *πενθημερής*, maxime usitata est, nonnunquam trochaica, sive *κατὰ τρίτον τροχαϊόν*, raro in thesi pedis secundi aut in arsi quarta. Ceterorum pedum caesura maxime in posteriore hemistichio saepe ita laeditur, ut pedes deinceps singuli singulis vocibus definiantur.

VII. Pentameter elegiacus, in Carmm. LXV — CXVI. usurpatus.

VIII. Phalaecus hendecasyllabus, cuius versus genere Catullus nititur in quadraginta carminibus (I. II. III. V. VI. VII. IX. X. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XXI. XXIII. XXIV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXXII. XXXIII. XXXV. XXXVI. XXXVIII. XL. XLI. XLII. XLIII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII.) Hic versus primo quolibet praeter pyrrichium bisyllabo pede, tanquam fundamento sive basi, deinde dactylo constat, qui cum spondeo in uno carmine LV. aliquoties mutatur, denique tribus trochaicis, eorumque ultimo pro extremae syllabae ratione variabili. Caesura legitima est in extremo pede secundo:

$$\begin{array}{c} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \\ \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \\ \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \end{array}$$

sed pro metri brevitate saepissime in tertia a fine arsi:

$$\text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---} \text{---}$$

IX. Sapphicus hendecasyllabus, ab illo ita tantum discrepans, ut, dactylo medium locum tenente, duos ab initio totidemque in exitu trochaecos habeat, quorum se-